

1438 mrt 18, Abdij Echternach, Wampach IX-828

Archief abdij Echternach Staatsarchief Luxemburg, 18-3-1438

Johannes, Bischof von Lüttich, Herzog von Bouillon und Graf von Looz, bestätigt die zwischen dem Provinzial und dem Komtur des Hauses der Deutschherren zu Utrecht und dem Abt von Echternach getroffene Anordnung der neuen Pfarrei von Gemerd, so wie sie ihm auf Grund der diesbezüglichen Urkunde, der er seine gegenwärtige Urkunde transfixiert, unterbreitet worden war.

1438, März 18.

Zwei unbeglaubigte Kopien saec. 16 auf dem Staatsarchiv zu Luxemburg(B). - Abschrift in der HS. 29, 20, f. 21 (liber octavus), ebd.

Vermerk in B: Consensus episcopi per modum transfixi. Der Vermerk in der sonstigen Abschrift: Incorporatio seu erectio ecclesiae de Gemert in parochiam. — Aus dein Vermerk in B erhellt, daß die Urkunde als Transfix zu der vorigen diene.

Uit: Wampach Urkunden- und Quellenbuch deel IX akte 828

Joannes, Dei et Apostolice sedis gratia episcopus Leodiensis, dux Bullonensis et comes Lossensis, universis presentes litteras seu presens transfixum visuris, inspecturis seu auditoris salutem cum notitia veritatis subscriptorum.

Cum sicut accepimus venerabiles et religiosi domini Theodericus de Bergenhusen, provincialis, Nicolaus van der Duszen, domus Trajectensis de Juncis Hospitalis Beatæ Mariæ Teutonicorum Hierosolimitani, Leodiensis dioecesis, commendatores, caeterique fratres ballivie et domus antefatae. nonnullas conventiones, obligationes et compromissiones de et super patronatu seu jure praesentandi ecclesiae parochialis villae de Gemert de novo per eosdem fundandae et erigendae, a reverendo patre domino abbate monasterii sancti Villibrordi Epternacensis, ordinis sancti Benedicti, Trevirensis dioecesis, per antefatum dominum Theodericum eiusque successores eiusdem ballivie provinciales commendatores, quotiens novum commendatorem eidem ballivie praefici continget, sub certo modo et forma in feudum relevandi conceperint, fecerint atque inierint, prout haec et etiam quaedam alia materiam decimarum novalium villae de Gemert antedictae praefato abbati et conventui libere dimittendi tangentia et concernentia plenius continentur et vidimus contineri, quodque memorati commendatores et fratres nobis ob hoc cum instantia supplicarint, quatenus huiusmodi conventiones, obligationes, promissiones ac omnia et singula in huiusmodi litteris sigillatis contenta per eosdem antefatis abbati et conventui desuper datis et quibus haec nostrae presentes litterae transfiguntur nostra ordinaria auctoritate in robur et firmitatem laudare et approbare nostrosque eidem consensum et ascensum prestare vellemus et dignemur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis in antefatis litteris quibus haec nostrae presentes litterae transfiguntur, contentis, nostrum prebuimus et prebemus ascensum, ea nostra ordinaria auctoritate laudamus et approbamus per presentes. Quibus in omnem fidem et testimonium sigillum nostrum ad causas mandavimus appendi.

Datum anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, die Lunae decima octava mensis Martii.